

rem fuisse præcipuis Apostolorum. Nempè hæc, quæ juxta Græcum est expositio, propter obsecritatem magis relinquit locum Theodoro Beza, & Janfenistis Calvinistarum sectatoribus, ut Paulum faciant autoritate nullo modo inferiorem Petro. Quæ hæresis ab Innocentio X. anno 1647. condemnata est. Retè Cornelius a Lapide respondet Beza, quod nos Janfenistis; Paulum non fuisse inferiorem in laboribus, & gratiis Apostolicis, & passionibus, de quibus ibi agebatur, non in primatu, de quo minime cum Petro contendit, neque, se negat ei subditum. Ita interpretes Catholici accipiunt etiam illud cap. 12. v. 11. *Nibil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli*; Sed hæreticis fixum est, ubique occasionem quærere stabiliendi errorem. Prætereo innumeras alias Textus facti, & versionis vulgæ mutationes, præsertim non apertam cum Janfenianis novitatibus passim notis, præ se ferentes connexionem.

Sensum sanum patitur, sed & perniciosum obvium titulus hic à Quesnello præfixus. Evangelii S. Joannis capiti 10. §. 3. *Brebis de Jესus entendent sa voix: ne peuvent perir: Oves Christi audiunt vocem ejus: perire non possunt*: Istud toto capite nusquam asseritur, neque verum est acceptum sensu potestatis antecedentis, quæ sola libertatem constituit, & propriissimè dictam necessitatis antecedentis expertem facultatem. Quod prædestinati perire non possunt, supposita prædestinatione, & ut in scholis loquimur, in sensu composito prædestinationis, ac potestate consequente, sive cum actu conjuncta, nemini dubium est. Sed cum potestatis nomine passim intelligatur antecedens, quæ, ut dixi, propriissima, & libertati unicè sufficiens potestas est, videtur consultius, & ad animarum fructum utilius dicendum cum Cornelio a Lapide in Joannis cap. 10. v. 28. „ Dupli-  
„ ces sunt oves Christi, primò omnes fide-  
„ les, & Christiani: secundò omnes, & so-  
„ li prædestinati, electique ad gloriam. His  
„ secundis propriè competunt hæc verba  
„ Christi; priores enim, puta fideles omnes,  
„ sunt oves Christi gregales, & communes,  
„ è quibus multi pereunt, & damnantur.  
„ Ita S. Augustinus ostendit de ovibus  
„ quare non pereant: de ovibus enim, de  
„ quibus dicitur; *Novit Dominus qui sunt*  
„ *ejus, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec*  
„ *latro interficit.* Posteriores ergo sunt oves  
„ Christi è grege fidelium electæ, & singu-  
„ lares, è quibus nullus perit, sed omnes sal-  
„ vantur: de prioribus tamen quoque ait  
„ Christus; *Ego vitam æternam do eis; quan-*  
„ *tum scilicet ex me est, quia nimirum pro-*

„ mitto eis vitam æternam, meamque opem,  
„ & gratiam, omniaque necessaria ad illam  
„ ipsis offero, optoque ut salventur. Quod  
„ ergo nonnulli ex eis pereant, & damnen-  
„ tur, non mea, sed ipsorum est culpa, qui  
„ me audire, gratiæque meæ cooperari no-  
„ lunt. Nam nec Diabolus, nec quis alius,  
„ tam potens est, ut eas rapere possit de ma-  
„ nu mea; si ipsi in ea permanere velint, no-  
„ lintque rapi. Gratia enim mea, quam eis  
„ do, tam potens est, & valida ut, si ei coo-  
„ perari usque ad finem vitæ velint, nemo  
„ eos possit à me abripere; sed si ipsi liberè  
„ me relinquunt, non est hic raptus, sed li-  
„ ber eorum abitus, apostasia, discessus. Ita  
„ Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Mal-  
„ donatus. Vult enim dicere Christus, nul-  
„ lam esse tantam vim, quæ fideles à se ab-  
„ trahere, & abripere possit; esto ipsorum  
„ libertatis sit, posse à Christo abire, eum-  
„ que deserere.

## CAPUT XVII.

De factata à Quesnello omnium Observa-  
tionum suarum veritate.

QUANTUM verò, (inquit) ad Mora-  
les ipsas in Textum novi Testa-  
menti Considerationes, de qui-  
bus, quantum existimo, præcipuè  
agitur, si in opere tamdiu à piis viris per-  
lecto, tam severè à gravissimis Theologis  
castigato, tam eruditè à doctissimis Episco-  
pis vindicato, qui omnes aliud nihil, quàm  
veritatem ipsam, & Ecclesiæ utilitatem  
spectabant, difficultatis tamen aliquid  
etiamnum superest, id profectò non aliunde  
potest oriri, quàm aut ex aliqua for-  
tasse vocum ambiguitate, aut ex brevita-  
te sententiarum, aut ex eo quod Theolo-  
gi exteri idiomatis Gallici vim, ac pro-  
prietatem non satis assequantur; quod ex-  
traneis solet contingere, quibus illius  
usus, & exercitatio deest.

Solo digna Quesnello audacia, atque  
impudentia est, summum Pontificem tali epi-  
stolâ convenire, quâ dum reverentiam pro-  
fitetur, ac demissionem, solenne ejus judi-  
cium, & prolatam supremâ autoritate sen-  
tentiam accusare non veretur de ignorantia,  
imprudencia, injustitia, de tot erroribus,  
quot illa censuris *Considerationes morales* qua-  
driennio ante confixerat. Non levis enim  
imprudencia, & injustitia fuisset, ob solam  
vocum ambiguitatem Considerationes illas, seu  
Observationes à pluribus Episcopis approba-  
tas proscribere, tanquam continentibus Do-